

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōōCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



107



Συὺ ὅρω
DISPUTATIONUM
ETHICARUM
VII.

De
LIBERALITATE,
MAGNIFICENTIA, MODE-
stia, magnanimitate, & mansue-
tudine.

In Inclytâ VVittebergensi Academia
proposita
PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,
RESPONDENTE
CHILIANO FABRO
Gefresensi Fr.

VVITTEBERGÆ
Ex Officina Johan. Gormanii, Anno 1611.




M,

ima,

nt,





Equestri splendore, antiquâ generis prosapiâ, e-
gregiâ virtutum omnium gratiâ, præclarâ eru-
ditionis laude, Prudentiæ & autorita-
tis vigore

Verè nobilissimis Dominis,

Dn. FRIDERICO HILDERICO
à Borell/ in Alten Trebgest/ Burckhaig & Bu-
tersteinach/ &c. Illustrissimi principis, ac Domini,
Dn. Christiani Marchionis Brandenburgici &c.
Cancellario.

Et

Dn. ACHATIO GEORGIO WOLFGAN-
GO à Schaumberg/ in Strâsendorff/ eidem Illu-
strissimo principi à consiliis primario.

NEC NON

Amplissimo, consultissimo, excellentissimoq; viro,

Dn. JOHANNIBAPTISTÆ BAUM
J. U. D. eidem illustrissimo principi à consiliis.

*Dnn. Mecænatibus, Fautoribus, ac Promotoribus meis maxi-
mis, ac multis nominibus observandis; cognato plurimum
honorando,*

Civilem hanc συζήτησιν studiorum meorum arrham gratitudi-
nis, & observantiæ notam, submissè nuncupare, & de-
dicare ut debuî, ita & volui,

Chilianus Faber Gefres.

Respondens.





Σὺν Θεῷ.

I.

Liberalitas (ἐλευθεριότης) *est virtus in acceptio-*
ne, & erogatione opum mediocrita-
tem servans.

I.



Non exigui hujus virtutis doctrina,
& institutio facienda. Etenim: nervi rerum
in republica gerendarum sunt opes, ac divitiæ:
uti verò nimium cùm intenditur nervus, aut
frangitur, aut sic debilitatur, ut actionibus
prorsus reddatur inutilis: sed nec, dum plus
æquo remittuntur, aliquis est illorum usus: ita quoque, dum o-
pes prodigimus, facile usus earum expirat: cùm easdem nimium
arctè constringimus, ac premimus, similiter nulli possunt infer-
vire usui; ut non contemnendæ sit artis opibus moderatè ad
Reipubl. commodum, ac emolumentum uti posse, cùm præser-
tim vix ullius rei tanti sint abusus, atque opum; nec facile quo-
quam tot promoveantur, ac foveantur vitia, quàm divitiis.

II. Initiò autem aliqua ζητήματα proœmii vice præmitten-
da videntur. I. *Anne liberalitas à magnificentia specie differat?* Gui-
el. *Vrsin disp. quest. Illustr.* in negantem concedit, hac motus ratio-
ne quòd magis, & minus speciem non variet. Malumus ta-
men affirmantem complecti, quia objectum & modus tractan-
di differunt; ita, ut, licet objecta in se specie non varient,
sed utrobique sint τὰ χεῖματα, attamen, objecta specie con-
venientia diversimodè tractare, ipsam virtutis speciem variet,
quod hujus, liberalitatis nostræ, & justitiæ, (quarum utraque
περὶ τὰ χεῖματα) exemplo luculenter satis patet. Quin &
exinde

A 2

Exinde cernitur, quod virtuti, ac vitio idem est objectum: at, quoniam agendi modus variat, vitium à virtute specie, imò plus etiam distat. Quomodo verò liberalitas & magnificentia diversimodè operentur, ipsa illarum consideratio dabit.

III. 2. *An liberalitatis virtus cadat etiam in pauperes?* Respondemus: Non facile inuenies pauperem in omnibus absolutè opibus destitutum: quòd si ergò talium quispiam vel nummulis bene, ac moderatè uti didicerit, non est, quod liberalem negemus: *ὅ γὰρ ἐν τῷ πλήθει τῶν διδομένων τὸ ἐλευθέριον ἀλλ' ἐν τῇ τῶν δίδον- τῶν ἕξει.* 4. *Nicom.* 2. cum præsertim vel unico nummo se prodigum declarare queat, dum illum elargitur, quando retentum decebat; aut avarū, retinens, cum elargiri honestas flagitabat. Accidat verò, ut omnibus privetur, quibus exercere liberalitatem potuerat: attamen si animus sic comparatus est, ut in bonis si suppeterent, moderatè operari, & versari promptus sit, fundamentaliter quidè liberalis est, at non formaliter, adeoq; incompletè, ac minus propriè: si verò aliquando bonis usus fuerit, & quidè moderatè, honestè, laudabiliter, at nunc vi bello, incendiis, aquarum inundationibus, furtis; &c. ad pauperiè redactus, omnibusq; exutus bonis: pristinū tamen animū, promptitudinem, & habitū liberaliter divitiis utendi retinuerit; liberalis omninò est, & quidem propriè, actu primo, licet non secundo.

IV. Ut jam propius institutum aggrediamur, definitur liberalitas *μεσότης περὶ χρήματα.* 4. *Eth.* 1. lib. 1. *Mag. mor.* 24. In qua duo consideranda: 1. objectum, 2. operandi modus. Objectum sunt opes, Aristoteles laxo termino *χρήματα* nominat, quæ, quid sint, *ibid* exprimit; *ὅσων* (inquiens) *ἡ ἀξία μονίσμασι μετρίαι*, quorum dignitas pecuniis æstimatur. Sunt, qui objectum constituent *pecuniam*; nimis strictè: nam in quibuscunque opibus delinquit avarus, peccat prodigus, in ijs *μετρίως* usurpandis occupatur liberalitas; & consequenter, ad solam pecuniam restringi hæc virtus nequaquam poterit. Sint ergò objectum opes, ac divitiæ: at hæc triplices; opes animi, corporis, fortunæ. Dives est animo, qui virtutibus, prudentia, sagacitate ingenio, sapientia &c præditus: corpore dives, cui vires integre; bonà valetudo, membra omnia sana, vegeta, qui agilitate; robore

robore, iustâ corporis staturâ, pulchritudine, externâ gravitatē
ornatus, ac dotatus. Fortunâ dives, cui victus & amictus
necessarius, & honestus, & abundans, cui pecunia, domus, agri,
horti, res pecuaria ampla.

V. Patet verò perfacilè, non occupari liberalitatem in bonis
corporis, vel animi, siquidem nec elargiri, aut profundere
nec avatitiâ sepelire possumus, licet ἀναλόγως, suoque modo
& illud fiat, dum sapientiam quis suam, prudentiam, aut artes,
quibus Reip. inservire posset, abscondit, sepelit, nec præter se
quenquam vult scire alterum. Similiter aberrat profusione is,
qui sapientiæ thesauros pandit apud plebejos & rudiores, quibus
difficultates, & subtilitates sapientulorum ejusmodi mera sunt
ænigmata non intellecta tamen admirantur, aut qui inter po-
cula spinosas, & argutas serunt disputationes, quò sapientiæ
nomine pluribus magni evadant. Eoq; numero censendi, qui
in concionibus ad populum variarum linguarum proprietates
excutiunt, poëtarum figmenta & similia imperitiores non eru-
dientia crepant. Hi omnes prodigi ἀναλόγως dici merentur.
Propriè verò in facultatibus, seu bonis fortunæ operatur libera-
litas; utpote quorum est accipi & erogari: & quidem in omni-
bus generatim, nullo prorsus excepto; ut, quamvis pecuniæ
præcipuum liberalitatis objectum constituent; non tamen ad-
æquatū: nam inhonestè, superflue, imò indecenter domos, agros,
vineas absumere, & abligurire annon est prodigum esse? quidnō
ergo decenter ijs frui, liberalem? Hæc de objecto.

VI. Tractatur id dupliciter: 1. λήψις, acceptione. 2. δό-
σις, erogatione; ὅτι ἐλευθεριότης μεσότης ἐστὶ περὶ χρημάτων δό-
σιν. καὶ λήψιν. 4. Ethic. 1. quarum illa (δόσις) multum
præcellit huic (λήψις) quod copiosè ibid. demonstrat Philo-
sophus. Ut acceptio sit liberalis, cavenda est cum ὑπεροχῇ,
cum ἐλλείψει. Excessu peccat, ὁ μᾶλλον ἢ δεῖ, περὶ χρημάτων
παράδωκον. 4. Nicom: 1. quicumque nimium in corraden-
dis opibus laborat. Contingit hoc autem 1. Quando acceptat
quem accipere dedecet. Talis est iudex, cui fas non est quic-
quam accipere muneris ab eo, qui coram se iudicio contendit;
quan-

quantumvis propter hoc donum iudicium nunquam inflexum fuerit; modò, ne iudicium suum alijs hoc modo suspectum reddat. 2. *Cum quis extorquet indebita*; hoc enim est esse *αἰτηλικόν*, quod culpat, ac prohibet Philosophus. 4. *Ethic.* 1. idque rursus fit; vi, fraude, aut vtraque simul. *Vi*, quando latrones, pyratae, praedones rapiunt aliena scientibus, videntibus, vel etiam de vita periclitantibus dominis. Cum item Tyranni urbes depopulantur, & templa diripiunt; etsi tales *πονηρὸς, ἀσεβὴς, ἀδίκος* appellitare, malit. *Aristot.* 4. *Ethic.* 3.

VII. *Fraude* rursus multipliciter: cuius modos omnes recensere, vix humanum videtur: ad tres tamen classes plerosque revocabimus, quas tres constituunt earundem causa. 1. Est mercatura: non licita illa, omni laude dignissima, cuius ope respub. nulla prorsus ratione carere potest; sed ea, qua venditor aut ad alterinas obtrudit merces pro genuinis, quod agyrtis, & Medicis circumforaneis haud novum: aut pluris divendit merces, quam jus & aequum ferre potest. Tunc enim omne, quod ultra aequitatem exigitur, avaritiae acceptum ferri debet. 2. Illiberalia opificia. Censet enim *Aristoteles* inter excessu peccantes *τῶν ἀνελυθέρων ἐργασίας ἐργαζομένων πορναβουσῶν, ἑκμιστῶν*: 4. *Eth.* 3. 3. *Lusus*. Fraus haec tantò deterior, quòd in eam non deceptor saltem, sed cum hoc ipsemet quoque deceptus quodammodò consentit. Quæritur hic ergò *sine lusus omnino viro bono, & Christiano indignus?* Resp. Distinguendum inter lusus, qui vel corpus exercent, vel militiæ juventutem præparant, aut mæstis tempus fallunt; atque hi & viro honesto, ac bono, quin & Christiano apprimè sunt digni.

VIII. Et quidem, quo ad postremum genus, non dedecet virum bonum aliquid etiam lucrari; cum hac tamen conditione, ne alteri sit detrimento, hoc est, vel universum victus ipsius periclitetur, vel damnum illi quoddam inferatur: aliàs si absque damno proximi quidpiam lucratus fueris, id lucellum, donarium reputatur, quod alter vel spontè tibi obtulisset, nec etiam num invidet, aut super eo dolet. Per lulum verò vel omnia, vel magnam partem bonorum alterius ad se trahere est spoliare proximum, quod viri honesti non est, nedum Christiani:
utpote

utpote, talis acquirendi modus, quem nec jus divinum, nec naturale, nec divinum approbat. Neque est, quod obtendat aleator; volenti non fieri injuriam: idcirco citra iniquitatis notam acquiri posse lusu bona proximi. Nam; initiò quæri posset, fueritne plena illius voluntas, opes alea perdere? ambigua quidem fortunæ eas commisit; non perdendi, sed plura contrahendi animo: facis ergò injuriam nolenti. Deinde ipse quidem temeritate sua damnum aliquod promeruit, tuum interea non est alterum poenâ afficere: proinde temerario non fit injuria, tu tamen injuriam infers, & ἐπομένως inique agis.

IX. *Fraude & vi simul* extorquent indebita; usura & furtum. Usuram non quamvis intelligimus, sed mordentem, quam vocant: de qua alibi. Furtum nullum committitur, ubi non in facto ipso vis, in circumstantiis fraus commissa fuerit. Hæc itaque in excessu liberalem λήψιν impugnant.

X. Unum ab hoc loco non prorsus alienum discutiamus; *utrum videlicet Ecclesie ministro pro verbi predicatione, absolutione à peccatis, visitatione aegrotorum, & similibus laboribus præmia accipere liceat?* Anabaptista categoricè responsurus esset NON: Papa, fociique per appositam affirmativam itidem categoricè ITA: neuter satis probè. Distinguamus nos dupliciter. Decet omninò auditores in Christiana fide se erudientibus ad vitæ sustentationem necessaria subministrare: nam qui his laboribus vacat, non perinde aliis invigilare, suisque manibus victum quarirare potest. *Syr. 39. v. 1. sq.* Ut auditores victui necessaria pastoribus animarum liberaliter subministrent, etiam manu non laborantibus, æquissimè quivis sanæ mentis homo judicat; *Matt. 10. v. 10. 1. Cor. 9. v. 13, 14.* sed tanquam æquivalens præmium, seu mercedem propriè dictam nihil illi rependere aut hi accipere, vel possunt *1. Cor. 9. v. 11.* vel debent. *Matth. 10. v. 8. 2.* Deinde: alia est ratio liberalis seu spontaneæ contributionis; alia rigida exactionis. Rigida ut exigit, & ceu postulabundus mercedem Ecclesie minister postulat, quod à Papa & sodalibus innumeris, ac infinitis modis factitatum; id verò huic virtuti extremè refragatur, & ministerio verbi est indignissimum. Spontè contributa aut ipsius sustentationi jam olim dicata si acceptet verbi prece, quin liceat, nihil

flexum
um red-
ιτηλον
que rur-
nes, py-
el eriam
ni urbes
αρεβεις,
s recen-
isque re-
Est mer-
e respub.
r aut ad-
& Me-
merces,
uod ul-
2. Illi-
ccantes
1505:4.
ceptor
modò
Christi-
corpus
tempus
ristiano
dedecet
ditione,
psius pe-
i absque
onario-
e etiam-
omnia,
e est spo-
ristiani:
utpote

nihil obstare video. Sic ergò concludimus: fas est Ecclesiæ ministro ab auditoribus stipendia spontè sui sustentationis causâ oblata accipere.

XI. In defectu delinquunt, hoc est minus, ac par est, accipiunt itidem non pauci; omnes videlicet, qui 1. munera honesta, & spontè oblata respuunt. Tales quidem paucos inveneris; licebit tamen istiusmodi Diogenes, quibus proprium quid possidere; (Anabaptistas dico) aut pecunias contrectare, (quæ Monachorum, & Monialium est hypocrisis) religio est, passim invenire, fortassis non admodum paucos. 2. Ecclesiæ ministri omnia stipendia recusant; quod ejusdem fanaticæ Anabaptistarum factionis præcones faciunt. 3. Qui hostibus bello devictis spolia detrahere ambigunt. Hos namque (si qui sunt) prodigos dixerimus haud aliter facientes, ac si bona sua, quæ jam jam manu continent, abjicerent. Legibus interim bellicis, ordinem hac etiam in parte constituentibus nolumus ullam movere litem.

XII. Δόσει, sive erogatione similiter ad duplicem hunc modum peccatur; excedendo, & deficiendo. Ab utraque cavere docet *Aristot.* tres ponens normas; dum ait: dandum, οἷς, ὅσα, καὶ ὅτε δεῖ. 4. *Nicom. lib. 1. Mag. Mor. 25.* Juxta primum erogandum in eos qui nostra indigent, vel saltè juvantur honestâ ope. Ut sunt pauperes, creditores, operarii. Delinquit verò in excessu, cum quis in scorta, vel eos, qui omnia sua computationibus & commensationibus, aleâ, scortis &c. insumunt, opes aliquas confert. In defectu; cum quis 1. sibi ipsi de necessariis ad victum, & amictum non liberaliter, ut decet, ac par est, prospicit; quod avarorum strictè dictorum; quibus suavius est, esurire, ac sitire, lacrum incedere, quam dilectum Mammona partè aliqua sui detruncare. 2. liberos sordidè educat, & vestitum necessarium ac decentem, aliaque, quibus carere nequeunt, denegat: aut, quod majus; pecuniæ parcendum arbitratur, quæ minus in scholis, vel aliis honestis artificiiis, & opificiis addiscendis adhibeantur, filia ve elocentur. Talis, Pauli judicio nomine Christiano omni planè modo est indignus. 1. *Tim. 5. v. 8. 3.* Proximo pauperi de negatur elemosyna: hac enim juvandus erat proximus

mus

mus & consequenter Respubl. cui non succurrit, qui concivem inedia laborare, aut aliis modis angustari sinit.

XIII. Juxta *secundum* requisitum tantum erogari debet, quantum exigunt necessitas, & honestas. Ea verò nil flagitat, quod tuæ rei familiari noceat, nec omninò quicquam, nisi ad institutum bonum, & salutare conferendum fuerit. Definiet proinde τὴν ποσότητα largitionum ab intra quantitas & conditio divitiarum tuarum; ab extra, honestas, quæ, quantum dato sit opus, facillè indicabit. Atque hic rursus Charybtis, & Scylla, hoc est, excessus & defectus. In illum demergimur, 1. cum ebrietati & comestationibus indulgemus, atque hunc in modum bona nostra dilapidamus. 2. cum luxum in vestitu exercentes ea, quæ retinere par erat, consumimus. 3. Dum in pauperes tantum erogamus ut rei nostræ familiari damnum hinc creetur sensibile: foret hoc namque ita expendere, ut nobis esset tribulatio, aliis remissio: quæ dispensandi ratio displicet Apostolo, 2. Cor. 8. v. 15. displicet etiam philosopho, cujus judicio liberalitas, κατὰ τὴν ἰσότητα δίδωσι. 4. Ethic. 1. 4. Quando audacter nimis pro alio spondemus. Sic enim opes suas in ingratißimum sæpè confert, quis hoc facit, dum pro altero, solvere haud rarò tenetur, quod pluribus dissuadet sapiens. Prov. 6. v. 1. sq. cap. 11. v. 15. & alibi. 5. Cum facinora turpia, scelera & similia illaudata facta opibus nostris promovemus, quod faciunt, qui 1. hæreses fovent, ac promonent, siquæ in earum propagationem sumtus faciendi, nullis usquam opibus parcunt. 2. Idololatriæ semina spargunt, idola fabricantes, eorumque cultoribus beneficientes, quibus & id genus aliis modis opes quam pessimè collocantur. Defectu peccant, qui minus dant, atque decebat; qui quot modis, ac quomodo delinquant, prius expediit requisitum; non opus crambem eandem reponere.

XIV. *Tertium* postulatum & ætatem dantis determinat, & dationis tempus. In puerilem ætatem ut nulla propriè dicta virtus cadit; sic neque liberalitas: ideò minimè decet eum, qui, quomodo dare conveniat, nondum satis cognitum habet aut patria potestate nondum exemptus, vel tutoribus adhuc agit, nec opibus suis pro lubitu utendi plenum habet jus, ac potestatem

B

tem

Ecclesia
onis can-

est, acci-
honestas,
eneris; li-
uid possi-
(quæ Mo-
passim in-
ministri o-
abaprista-
ello devi-
unt) pro-
quæ jam
ellicis, or-
allam mo-

hunc mo-
avere do-
tu, (q) o-
m in eos
sunt pau-
cum quis
ommissa-
ntert. In
, & ami-
od avaro-
frire, lace-
qua sui de-
necessarium
egat: aur,
nus ij scho-
lis adhibe-
mine Chri-
. Proximo
erat proxi-
mus

tem. Sic neque dandum indigo licet, tunc, quando aut Reipublicæ officis, aut eam, proximūmve juvare non potes. Ab his ergo extremis qui sibi studiosè caver, viam mediam persacilè inveniet.

De
MAGNIFICENTIA

II.

Magnificentia (μεγαλοπρέπεια) est virtus in magnis faciendis sumtibus mediocritatem servans.

I. Magnificentia quædam dicitur μεταφορικῶς, qualiter magnificus est, qui magnificè incedit lib. 1. Mag. Mor. 27 alia idiosyncrasia καὶ κυρίως, cui magna cum liberalitate affinitas, & convenientia, ut omnis magnificus sit liberalis, etsi non quivis liberalis magnificus. 4. Eth. 4. ut unius noticia non parum illustret alteram; idcirco, cum de liberal. copiosè actum, hic tantò erimus breviores.

II. Dictum quidem supra, differre à liberalitate magnificentiam non κατὰ τὸ ἦθος, καὶ μάλλον saltem, sed κατ' ἔσταν, καὶ τῷ εἶδει; id quod distinctior utriusque consideratio planum faciet. Definitur μεγαλοπρέπεια μεσότης τῆς ἐλλείψεως, καὶ ὑπερβολῆς τῆς περὶ δαπάνης; τὰς προσηκόντας lib. 1. Mag. Mor. 6. 27. Expedient verò hujus virtutis tractationem duo; subjectum, & modus subjectum tractandi. Prius quod attinet, versatur illa περὶ τὰ χεῖματα. 4. Nicom. 4. non tamen indefinitè, sed περὶ τὰς δαπάνης lib. 1. Mag. Mor. 6. 27. & πράξεις δαπανηρὰς μόνον. 4. Eth. 4. Unde duplex resultat magnificentiæ, & liberalitatis discrepantia, 1. quod illa in sumtibus saltem faciendis; hæc in quibuscunque erogationibus etiam minimè sumptuosis occupatur. 2. Adæquatam liberalitatis objectū sunt χεῖματα indefinitè omnia; magnificentia verò non omnia, sed aliqua saltem.

III. In tractandi modo, hæc attendenda 1. quis? 2. quomodo? 3. unde? 4. In quem finem, ac usum sumptus facere deceat? Primum postulat Philosophus, dum ad agentem respectu quopiam.

am ipsum opus referri docet. 4. Eth. 5. quo magnificentiae titulum adimit omnibus, quos non decet sumptus impendere, & tamen impendunt. V. C. si quis humili sorte arces, aut munitiones extruere, urbes mœnibus cingere: aut, cum civis sumtus, quibus regi ad bellum gerendum opus, expenderet; magnificum sanè præstitisset opus, at non magnificè. Etsi enim talia quoque salutem Reipublicæ promovent, modus tamen non est conveniens: talia enim in magistratus cadunt, & superiore loco positos: ἐν γενεῖς καὶ εὐδοξίας 4. Ethic. 5. non qui deterioris, & ignobilioris sunt sortis ὁ γὰρ πενήτης Aristotelis iudicio *ibid.* non est μεγαλοπρεπής. Quisvis ergò attendat ante omnia, deceatne se, suum ordinem, statum, & conditionem hos, aut illos impendere sumtus.

IV. Secundum definitur cuiusvis opibus. Nam & magnorum sumtuum alii aliis majores, alii minores, Prout ergò divitiarum utriusque; tulerint, expensæ minus, aut magis futuræ sunt sumtuosæ: excessisti enim modum, ac μεσότητι, quamprimum res familiaris magnificentiam tuam periclitari ceperit: deficiis verò ad μικροπρέπειαν, quando Reip, & concivium salutem ac momentum citra famæ periculum, aut rei familiaris detrimentum largioribus sumtibus promovere potuisses.

V. 3. Postulat, ut modo, medioque legitimo acquisita fuerint, ex quibus sumtus facis; bona videlicet, hæreditate, labore, donatione comparata. Vicissim: si furto, rapinis fraude, aliisque modis illicitis acquisivisti ea, quæ jam magnificè expendis: nil minus, quàm magnificus dicendus eris. Similiter; invenire liceat, qui cum omnia, & vel animam debeant, nolint tamen dejectæ videri sortis, ideoque vel aliis jam debita, vel ab iis mutuò accepta in usus magnificos conferunt, indigni sanè, qui tam splendido virtutis nomine laudentur. Rectè enim Philosophus: μεγαλοπρεπής τὴν οἶκον κατασκευάζεται πρεπόντως τῷ πλῆθει.

VI. 4. Denique: finis informat actiones; si ulla; certè morales, finium verò diversitas se offert longè maxima: si usquam, certè in liberalitate & magnificentia. Dum ergò talis actio finem habet propriam gloriam, ac famæ magnitudinem, & diuurnitatem, magnificentia non est: ὅτι ἢ εἰς ἑαυτὸν δαπανηρὸς ὁ μεγαλοπρεπής, ἀλλ' εἰς τὰ κοινά, 4. Eth. 5. Verus autem, proprius,

B 3

proprius,

Reipu.
Ab his
acile in-

us in

i-

qualiter
lia idios
venien
liberalis
et alce
erimus

ificen
καὶ τῷ
faciet.

ἢ ὑπερ
27. Ex

lum, &
atur illa
sed πρὸς

μόνον
tatis di

hæc in
is occu

τα inde
a saltem
uontos?

deceat?
u quopi
am.

proprius, ac primarius finis est honestas, & patriæ utilitas, nisi hic finis unicus, & palmarius non erit opus magnificentum. Ea que de causâ virtuosâ nō connumeramus, sed βανάουχος, καὶ ἀλάζω-
 τας censemus τὰς ἑμὲν δεῖ παλὰ ἀναλώσαι, ὀλίγα; ἔ δὲ ὀλίγα, πολλὰ δαπανῆντας. 4. Nicom. 6. qui 1. turpia, & inhonesta magnis sumtibus, promovent: idolorum cultui basilicas, scortis lupanaria operosè ac sumtuosè extrunt. 2. In res nihili, aut non diuturnas multa conferunt; quibus nec honestas, nec Reip. utilitas, nec proprium commodum promovetur. Decet enim magnificentum δαπανᾶν περὶ τὰ πολυζήονια, 4. Ethic. 5. 3. Ostentationis, & famæ gratiâ multa erogant; quod frequentissimum, & Megarensium exemplo declarat, Aristoteles 4. Nicom. 6.

VII. Econtra μικροπρεπεῖς sine dubio sunt, qui, cum opibus honesta promovere, & Reip. utilitati consulere possent; id tamen non faciunt, majora censentes privata, quàm publica: optantes potius sibi, suo que ventri, quàm patriæ prodesse. Atque hæc consideratio alterū discrimen hujus, & præcedentis virtutis superpediat, quarum illa in moderatè dando, & accipiendo: hæc non in accipiendo, sed dando saltem laborat.

De
 M O D E S T I A.

II. I.

Modestia (ὀρεξις τημῆς δίκαια) est virtus mediocritatem servans in honoribus expetendis, aut fugiendis.

I. Rursus duæ multum confines virtutes hic concurrunt, modestia & magnanimitas, quarum illa sic comparatur ad hanc, uti ad magnificentiam liberalitas: imò vinculo adhuc arctiore connectuntur, Vid. 4. Ethic. 10. sed quid his multum opus, percurramus modestiam, & erit de altera facile iudicium.

II. Modestix vox vulgò generalis est, elegantem morum compositionem designans: hic tamen specialis, honorum appetitionem, aut fugam notans. Statim in limine litem movebunt

Ana.

Anabaptistæ; omnem honorem tanquã rem omnium fœdis-
simam rejicientes. Duplex enim cùm sit honor; 1. politicus, qui
rursus duplex: unus, quo magistratum venerantur subditi: alter,
quo, qui temp. belli, pacisquẽ tempore fortitudine, prudentiã
consiliis, & sapientiã plurimùm juvarunt; aliisquẽ hanc laudem
non promeritis præferuntur, ac præponuntur. 2. Scholasticus;
quo iis, qui eruditione cœteris præeunt, utpote honore dignis
tituli præ aliis honoratioris tribuuntur. Utrumquẽ è confusa-
neã sua Rep. exterminatum cupiunt fanatici. Afferamus
utrumquẽ.

III. *Politicus*. Deo ordinante, confirmante, approbante, exornan-
te, armante est introductus, & hætenus retentus. 2. Atque hunc
statum revereri, venerari, eiq; obedire divina præcepit majestas,
Rom. 13. v. 1. sq. 3. Quin & communi omniũ gentiũ, ac populorum,
ipsiusquẽ Israelitici consensu unanimi sic approbatus. 1. *Sam. 8.*
ut nulla gens absque magistratu sese salvam consistere posse, un-
quam crediderit. 4. Et vel ipsa ratio facile suadet, convenire ut
Resp. suis distinctis constet, ac perficiatur ordinibus, quorum a-
liqui sint superiores, alii inferiores; ut etiam ad supremum de-
venire oporteat. 5. Taceo experientiam, quæ tot regnorum
convulsiones, quibus miserè fuerunt concussa, imò everta peni-
tus ex capitis, seu magistratus defectu exortas commemorat.
Porro: honores (posterioris generis) *politici*, ut & *scholastici* sua
insigni utilitate non destituuntur. Quid enim Remp. omni-
um gentium conservavit, nisi honoris fortiter præliantium præ-
mia? quid ad virtutem omni tempore plus allexit, quàm hono-
res? Quid honestarum artium, ac virtutis studia pluribus mo-
dis promovit, hodiequẽ promover, iisquẽ urgendis cal-
car addidit, additquẽ hodie, nisi honores tùm impetrandi, tùm
defendendi. Præterea: si nullus tam leviculus labor, cui non
sua præmia, quid mali hoc esset, viã virtutis angustias sine spe
præmii, at non sine maxima molestia perreptare? Aut quid in-
dignius, quàm ignavum eadem dignitate, honore, ac sorte frui
cum virtuosis?

IV. Cùm ergò honores expetere liceat, videndum; quibus
nam modis virum bonum circa eos versari conveniat? ubi iur-
sus.

sus duplex sese offert actio; appetitio & fuga. Illa non solum animi desiderium, sed & conatus ad honores debitos, & optatos perveniendi complectitur; similiter & fuga. Unde & ἐλλείψει, & ὑπερβολῇ utroque modo delinquere nos posse, cernitur. Excessu: 1. dum honores prosequimur, quos nec appetere nec acceptare conveniebat, 2. per inhonesta media eosdem venamur. Defectu, quando 1. honorem fugimus, quem & appetere, & acceptare decebat, 2. per inhonesta media repudiamus, & amolimur. De singulis speciatim.

V. Honor vel indignitate, superioritate, ac potestate, (ut sunt magistratus, sive proprie dicti politici, sive improprie Ecclesiastici) vel fama, ac nominis claritate consistit. Prius honoris genus tribus potissimum modis acquiri potest: 1. successione hereditaria, 2. electione, 3. vi, 4. fraude. Nullus horum omnium quibusvis Rebuspp. est communis, sed per se quidem alteruter priorum; ex accidente alteruter posteriorum. Successio est duplex, dignitatis & cognationis. Ad magistratus honores cognationis successione vehimur, vel, cum parentibus succedunt liberi, aut filii; vel cum agnati agnatis, frater fratri, avunculo ex sorore nepos, vel omnino proximus consanguineus proximo. Dignitatis successio in eo consistit, quod cum honorum, honoratorumque officiorum in Rep. sui sint gradus,; defungente superiore, is qui dignitate est proximus, locum recedentis occupat.

VI. *Electio* non est unius modi: differt enim 1. eligente 2. Eligendo 3. electionis fine. Non est cujusvis eligere. In 5 Rom. Imp. potestas eligendi Cæsarem est penes VII viros; senatorem constituere non est promiscua plebis, sed senatorii potius ordinis; imò semper superiori quam maxime convenit inferiorē eligere magistratum. Sed accidisse olim ut imperatorem copia militares eligerent, ac per vim apertā obtruderent, vel confusum latronū chaos ducē designaret pro arbitrio; tum historia Cæsarium, tum etiā Tamerlanis, Scytarū regis acta & gesta luculenter testantur.

VII. *Eligendum* honoribus dignum esse, oportet. Ut verò dignus, requiritur 1. esse virum bonum, & honestum: aliàs, si fuerit

rit

rit in famis, malis artibus deditus, ad movendas turbas & scelerata pronus; ut nihil ab eo præter turpem honorum conspurcationem expectandum; pessimè fecerit, qui tanta vitia coronare præsumserit. Cum fructus honoris sit onus, talem eligere oportet, qui rebus gerendis aptus sit, atque idoneus. Talem, si quis seipsum non esse, senserit, decet utique oblatos etiam honores constantè respicere: futurum enim aliàs, ut quibus malè præsumeris, honores te inhonestent magis, ac deprimant, quàm extollant.

VIII. *Finis electionis* aut est bonus ordo in Republ. aut prædandi, grassandi quæ, ac pro lubitu quævis agendi libertas. Ille per se, hic accidentarius. Quando per electionem deferuntur honores ii, quorum officium hoc flagitat; quando item commune bonum intenditur; & honoribus afficiuntur ii, qui digni sunt; modus est legitimus: qualiter etiam appetere honores per modestiam planè licet: si verò vel unum requisitorum aliter se habeat, *Φιλοτιμία* es, si acceptaris honores oblatos, aut saltem optaris.

IX. *Vi* quàm agantur multa, notius est, quàm expedit. Est autem vis aliqua licita, quæ scilicet infertur hosti laceffenti; alia illicita, quæ seditione civili mota quis honores sibi invitos decernere cogit; magistratum ordinatum dejicit, ac persequitur; & ad honorandum renuentes violenter adigit: qualis ferè *πίσις* Absolonica; quamvis & huic non parum admixtum fuerit fraudis. Ut quis potestatem desideret, quin & caperet in apertos hostes, non prohibet vel tantillum modestia: ut verò arma capias in eum, qui in honore est constitutus, cui tu honorem debes, quò ipso dejecto tu locum ejus occupare possis; hoc scilicet turpissimæ est *Φιλοτιμίας*, & ambitionis.

X. *Fraus* quantum valeat notorium est: nolumus percurrere species, harum enim multitudo infinita; hoc saltem generaliter dicimus; nullam fraude partum honorem modestiam admittere; licet hic quoque non omnem (eam videlicet quæ salvis honestatis, & pietatis legibus, in hostem exercetur, eximenter) velimus intellectam: sed illam saltem, qua quis superiorem, cui honorem debet, fraude honoribus privat, eosdem que in seipsum transfert, vel ab æqualibus se honorari fraudulenter facit.

XI. Honor

lū animi
pervenit
& v
Exces
accepta
ur. Dele
accepta
limur. De

ate, (ut
prie Ec
us hono
ccessione
omnium
alteruter
o est du
es cogna
eduncli
culo ex
oximo.
n, hono
gente su
occupae

ate 2. Eli
Rom. Imp.
m consti
dini; imò
ligere ma
ilitares e
m lacronū
rum, cum
testaneur.
t verò di
iās, si suo
ris

XI. Honor nominis, ac famæ claritatem concernens non nisi honestatis modis, acquiritur Inclarescere non est honorificum; nam & Pilatus inclaruit, Christum crucifigendū tradens. Herostratus templum Ephesinum longè magnificentissimū in cineres redigendo se nominis aliquam famam sibi conciliaturum speravit. *Val. Max. lib. 8. cap. 14.* Nero crudelitate sua nomen immortale adeptus; aliisque vitiis alii. Hæretici eadem ducti ambitione hæreses tum sibi, tum Ecclesiæ perniciosas excitarunt. Hosce modos acquirendi honores universim omnes ad *ὑπερβολῶν* modestiæ, *Φιλοτιμίαν* relegamus.

XII. Porro: quantum ad fugam honorum, nec ipsa per se laudabilis est, uti nec culpabilis; sed dum à medio recedit, quod fit dupliciter. 1. Cum fugimus honores amplectendos. 2. cum modis, mediisque illicitis fugimus. Quos honores amplecti liceat, bonam partem ex superioribus constat eos videlicet, qui hæreditarii sunt, à parentibus, & majoribus, aliisque agnatis in nos derivati; quos virtus promeruit; quos attribuit electio; vis etiam justa ac legitima peperit. Hos si fugiendos censueris, boni viri officio defuisti: si nec animo expetieris; ipsoque facto oblatos detrectaveris, reprehensionem incurres longè maximam, utpote, qui à virtute multum recessisti. Taliter Saul fecit, cum divinâ providentiâ in regem Israëliti populi electus ac ordinatus esset, ipse rupifaculo ut hunc subterfugeret honorem, post vasa sese abscondit, *1. Sam. 10. v. 22.* Videris hodieque multos, verbotenus honores detrectantes, quos tamen vel ipso facto sectantur, vel desiderio eorundem haud levi, aut exiguo tenentur.

XIII. Præterea, modi, quibus debitos honores subterfugimus, varii sunt, ii que omnes atro notandi calculo; utpote 1. si laborum prætendas gravitatem: turpe hoc: nescis, te ad laborem natum? nescis, laboribus te Rempl promovere posse, quod facere prorsus teneris: ignoras, quòd *fructus honos oneris, fructus honoris onus?* 2. Si turpe quid committas quò indignus evadas honoribus. Nam sic tibi tuisque oportet te esse inimicissimum, qui malis malè audire, quàm benè. 3. Si media honesta negligas, quæ ad honores te perducunt; ut virtuti non studeas, viris bonis, qui te promovere possunt, exosum reddas, & quæ sunt alia. Sed

omnia

omnia hæc vitanda modestia præcipit; quod ubi feceris, ne angustam virtutis viam te trivisse, dubites.

XIV. MAGNANIMITATEM μεγαλοψυχίαν quod atinet, definitur ea virtus in magnis honoribus mediocritatem servans. Qui magni sint honores, non opus est, de præsentem definire: ostendit hoc reip. usus. Modus virtuosè circa illos versandi cum sit talis, qualem circa parvos, & mediocres definit modestia, adeoq; ab hac virtute specie non differat, sed tantum, ut pulchritudo in magno, & parvo corpore, se habeat, quod demonstrat Aristotel. 4. Ethic. 7. ulteriori expositioni super sedemus.

DE
MANSUETUDINE.

IV.

Mansuetudo, (μερότης) est virtus in ira, & banc insequente vindictâ exercendâ mediocritatem servans.

I. Ut cæteras virtutes omnes, ita hanc etiam nostram quàm rectissimè consideratam putamus, si duo isthæc expendimus; objectum, & modum virtuosè illud tractandi. Sæpius autem dictum, duplex dari objectum, internum; videlicet affectum; in quo moderando virtus occupatur; & externum, in quo actiones suas exercet. Quod ad præsentem attinet virtutem, mansuetudo iram intus coercet, extrâ, injurias, convitia, ærumnas, afflictiones animo fert prompto, & facili, ut plurimum sic patientiæ cum hac virtute convenientiæ, & cognationis.

II. *Iram* verò nominantes, nolumus rem nobis esse cum iracundia, habitu illo, quo ad irascendum proni sumus, atq; proclives: hæc enim ira per virtutem non moderanda, sed eradicanda: sed de actu secundo ἡ θυμικῆ, quo illud movetur, & in res externas invehitur. Interim, non attendimus morositatem Stoicam, quæ iram prohibendo sine discretionem omnem; mansuetudinem simul, virtutem præ cæteris homine dignam rebus humanis eximunt. Habemus enim persuasissimum, iram aliquam, & vindictam bonam esse, licitam, quin & necessariam. Sed de ira plura hic nolumus, supra enim non nihil actum.

III. Modus

III. Modus tractandi inter duo extrema *ὀργή* & *ἀοργησίαν* mediam, ceu regiam viam monstrat, quam ut incedamus, probe videndum ut, *ἐφ' οἷς δεῖ, καὶ οἷς δεῖ, ἐν καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον χρόνον*, irascamur, 4. *Ethic. 11. lib. 1. Mag. Mat. cap 23, 3. Eud. 3.* ex quibus hæc quatuor requisita expendemus. 1. Quis? 2. Cui? 3. Cur? 4. Quantum irasci mansuetudo permittat? 1. Quis. 2. Cui. *Coniunctæ* sunt hæc duæ conditiones, ut correlatè se habeant; ideoq; nec in consideratione divelli valeant. Irascitur autem vel superior inferiori; vel æqualis æquali, vel inferior superiori. Ut superiori in inferiorem seu subditum ira moveatur, nil prohibet; id quod cum reduplicatione acceptandū, hoc est, *quatenus superior*. Etenim si subditus magistratui in ijs sit inobediens, in quibus parere nec tenetur, nec integrum est; utpote, jubeat tyrannidem exercere, innocentes interficere, cultum divinum mutare, & religionem deserere, tu rectè inobediens eris, & si magistratus ob hoc tibi succensuerit, mansuetudinem deseruit; nec imperandi hæcenus facultate pollet. Deinde: superior quis est altero dignitate naturæ, vel præ eminentiâ ordinis, regiminis, ac domini. *Natura dignitate* qui supereminet, non rectè irascitur inferiori. Quid enim, nisi stultitiam suam prodidere, qui mare verberibus mulctare, adversus austrum instructâ pugnare acie, & similia insanix specimina edenda censuerunt? Atq; in horum numero censetur ira, qua demortuos, qui viventes nos læserunt, prosequimur. Ut enim non improbamus *Ἐξία* istam in Republ. & Ecclesia laudabilem, ex zelo bono potius, quàm irâ profectam, qua facinorosi, *ἀυτῶ χειρῆς*, contemtores religionis, excommunicati, & consimiles honore Christianis, ac bonis viris debito non afficiuntur, honestè non sepeliuntur, aut aliàs ignominiâ quapiam notantur; ita, qui in corpus defuncti, unguibus bestiarum in modum dilaniando sæviunt; nã hos furere oportet; mansuetudinis nil quicquam possidentes. Qui officio superior est, dominio, &c. ut, sunt magistratus, parentes, præceptores, Ecclesiæ Doctores, hunc attendere oportet; 1. ne primò irascatur personæ, deinde vitio, aut factò; sed potius *πρώτως* malefacto, *δεύτερος* personæ. 2. Non tam effervescat ira physicâ, quàm Ethicâ, quæ voluntas est juxta leges puniendi.

niens
com
IV
do hic
hic ca
pòst
Sunt a
vel ip
Nulla
præter
grant
tu, Hi
ris: si
rursus
conci
univer
stratui
dundet
honore
cogita
fictos,
cile con
am deb
ipsa fac
ri, mod
par rat
V.
omnes
certa. N
liter se
bè expl
omnib
gitan
vel etia
nivere,
mo lev

niendi peccata sæpius omni vacans humorum, aut corporis commotione haud rarò etiam misericordiæ conjuncta.

I V. Aequalis æquali non facile irasci debet, quæ enim modo hic illum, eodem innox alter hunc lædere potest; quamvis & hic causæ offensionis justæ sese haud rarò offerant, de quibus pòst. Inferior superiori plane non rascitur, salvâ mansuetudine. Sunt autem superiores *1. Deus*, cui, ut irascamur & pietas, imò, vel ipsa congenita, & insita erga Deum reverentia prohibet. Nulla certè est culpa hujus iræ. Deus enim nihil nobis debet præter exitium: si punit, justum hoc est, nullâ irâ dignum: flagrant hoc peccata innumera his irascaris, non Deo. *2. Magistratus.* Hic aut te lædit, aut non. Si hoc, non est, quod irâ conciteris: sin alterum, aut insontem, aut benè promeritum. Si hoc; rursus nihil irâ opus: sin illud; patientiâ injuriam vincas, ne concitata in magistratum seditione efficias, ut tui unius culpa universa periclitetur, seu laboret Resp. Parcendum enim magistratui iniquè agenti; ne incommodum ad omnes subditos redundet. *3. Parentes;* quibus ipsis quoq; seriò Deus obedientiam, honorem, ac reverentiam exhibendam præcepit. Si te læserint; cogita; & ipsos abs te infante, puero, adolescente multum afflictos, & læsos fuisse. Adde, quam debes, patientiam, & iræ facile consultum fuerit. *4. Verbi præcones:* Si vitia taxarint, gratiam debes, & amorem; si falsa, & hæretica docuerint, cessant ipsa factò esse Dei ministri, ut nihil vetet, ira in eos commoveri, modò aliàs causa sit justa, & evidens. *5. Præceptores,* quorum par ratio.

V. *3. CUR?* Causæ in specie multiplices sunt, ac variæ; quæ omnes, ut honesta sit ira, his conditionibus opus habent. *1. Sint certa.* Non est mansuetus, qui alteri succenset ob id, quod, qualiter se habeat, dubitas: cave igitur, excandescas, nisi causâ probè exploratâ: *2. Sint graves.* Nam labi, humanum est, nec quivis omnibus horis sapit: leviores igitur lapsus quos causatur incogitantia, judicij infirmitas, ignorantia, quibusve leviusculum, vel etiam nullum tibi damnum infertur, corrigere potius, conivere, & patienter ferre decet, non ira præcipiti, & amaro animo levia prosequi. Graves autem dico causas, quibus *1. aperta*

fit injuria. 2. Uxor, liberi, parentes, & proximi cognati, & amici iniquè tractati. 3. si tacta fama. 4. si hostiliter attrectata bona, domus, horti, agri, pecudes, furtim surreptæ opes. Talia ferre, ac tolerare, servile est, Philosophi judicio 4. *Ethic. 11.5.* si te per obtreccionem, & mendacia viris bonis, amicis, propinquis exosum reddere quis attentarit. 3. Ne sit causa jam antè transacta. Vitium, excessu huic virtuti oppositum *πικρότης* est; vel etiam *βαρυθυμία*, dum quis reconciliationem, & amicitiam simulans felle tamen, & amarulentiâ cor habet plenissimum: odium hoc quidem verius, quàm ira, motiones tamen, quibus haud rarò iram pristinam recoquit, mansuetudini directim oppositas esse, certissimum est.

VI. QUANTUM. Tantum irascendum, quantum proximi permittit incolumitas (quòd illam defendere, aut non lædere par est) tuiq; ipsius propria salus. Obruit aliquos in tantum ira, ut si maximè causa justa, tamè immodicè illam effundant, quod fit, cum pater filium, præceptor discipulum, quem virgâ paternè castigare conveniebat, hostiliter tractat, ut is vel claudus, aut simili corporis defectu notabilis evadat: cum maritus uxorem, Dominus servum indignis modis excipit. Nec desunt, quibus ipsismet exitio est sua ira, qui sic excandescunt, ut hinc morbos, imò & mortem ipsam sibi attrahant: quod vitium, etsi naturæ bona ex parte acceptum ferendum, morum tamen incongruam dispositionem huc nò parum conferre, ipsa res loquitur.

VII. Hæc via virtutis media, quam ab utraq; parte deserit excessu quidem *πικρότης*, seu *ὀργιλότης*, *βαρυθυμία*, *ἀκροχολία*, in quam incidunt, quicunq; irascuntur, cum hæc præcepta irasci prohibent. Defectu verò *ἀοργησία*, stupor, quo laborant, quicunq; iram præceptam aut ad minimum permissam prætermittunt, nec commoventur, quando irasci ex usu & commodo erat publico: licet hîc quoq; melius, & mansuetudini magis congruum, ignoscere, quàm irasci; *ἢ γὰρ τιμωρητικὸς ἔ*

πρὸς θεὸν, ἀλλὰ μᾶλλον συγνώμοτικός,

4. *Nicom. 11.*

Μονὴ Θεῷ δόξα.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



107



A
 A T I O N U M
 I C A R U M
 V I I.
 De
 A L I T A T E,
 E N T I A, M O D E -
 r a t e, & m a n s u e -
 t u d i n e.

t e b e r g e n s i A c a d e m i a
 p o s i t a

P R E S I D E
 C L A O H U N N I O
 F a c. P h i l. A d j u n c t o,
 C O N D E N T E
 N O F A B R O
 r e s e n s i F r.

T E B E R G Æ
 G o r m a n i, A n n o 1 6 1 1.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

